



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

Disputatio XXV. De suspensione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

propositum obediendi Ecclesie. Si vero acciderit hanc excommunicationem ferri ad resarciendum damnum alteri factum, tunc necessarium erit, eam satisfactionem, vel cautionem exigere, quam ratio iustitiae postulauerit: nihil enim peculiare circa hoc est iure positivo præscriptum.

DISPUTATIO XXV.

De Suspensione quoad essentiam & species eius.

Multiplex
suspensionis
significatio.

E hac secunda specie censuræ, iuxta consuetam methodum, dicemus prius, quæ ad communem rationem suspensionis spectant, deinde ad singulas iure latas descendemus. Nomen autem *suspensio* multiplex est, latinis enim animi dubiam & incertam euentus expectationem significat: ac deinde corporis suspendium, certumque suspensio generis, quod etiam apud Iuris peritos significat: & præterea dilationem, quæ in usu vel rei expeditione interponitur: sic enim dicitur suspendi sententia, officium, &c. Præter hæc vero applicata est hæc vox in iure Canonico ad significandam quandam speciem censuræ: nam licet interdum latius sumatur, ut pro interdicto ab ingressu Ecclesie cap. 1. de Sent. excomm. in 6. & pro impedimento utendi aliquo temporali munere, Extrauag. vnic. Ioannis XXII, de Sent. excomm. quæ non est pœna spiritualis nec propria clericorum, nec censura: nihilominus strictè sumpta significat pœnam spirituales propriam clericorum, ac censuram, de qua hic est sermo. Supponimusque dari hoc genus censuræ & pœnæ, esseque ab aliis distinctum, iuxta cap. *Quærenti*, de verbo. significatione & superius dicta de censur. in communi, quæ in sequentibus clariora fient: ubi etiam explicabimus quomodo interdum hæc pœna, licet spiritualis sit, non sit propria censura.

SECTIO I.

Quæ sit propria ratio huius censuræ.

Ratio dubitanda.

Ratio dubitanda est, quia propriæ differentie censurarum non possunt explicari nisi in ordine ad effectus suos: nam, cum censura nihil aliud sit, quam spirituale quoddam vinculum priuans hominem usu aliquorum bonorum, seu ligans, vel impediens illum in ordine ad aliquos actus, non potest propria eius ratio sine habitudine aliqua ad proprios eius effectus intelligi. At vero suspensio nullos effectus proprios habere videtur, quos excommunicatio, vel interdictum non habent; & ideo difficile est propriam illi differentiam, seu rationem assignare. Nam ad summum poterit distingui ab excommunicatione maiori tanquam pars à toto, seu tanquam magis vel minus prohi-

bens: quomodo distinguitur, etiam excommunicationis minor à maiori: erit ergo suspensio tanquam quadam excommunicatio minor, non vero propria species censuræ.

Definitio suspensionis.

In definitione suspensionis tradenda, varie loquuntur Doctores, & Summistæ: omnis vero multis, quæ referre inutile esset, breuiter dicendum est, Suspensionem esse, Censuram quandam Ecclesiasticam, qua minister Ecclesie impeditur, ne functiones Ecclesiasticas exerceat, aliquaque Ecclesiastica potestate viatur. Quæ definitio quoad genus constat ex dictis: & per illud excluditur ab hac consideratione mortale peccatum, quod ab aliquibus suspensio appellatur: quia per illud impeditur sacerdos ne sacrum faciat, donec ab illo absoluitur. Sed impropria est locutio: quia illud impedimentum nec est pœna, nec censura Ecclesiastica, nec est humano iure introductum, sed intrinsece concomitans talem culpam. Deinde per illud genus distinguitur hæc suspensio in vniuersum & ab irregularitate, & ab omni pœna Ecclesiastica quæ censura non est, & specialiter ab omni genere suspensionis, quæ non per modum censuræ, sed tantum per modum pœnæ imponitur, quod est frequens in iure. Quotiescumque enim suspensio imponitur solum ut delictum puniatur, & non ut à contumacia recedatur, non habet rationem censuræ, sed solius pœnæ, iuxta principia posita de censuris in communi. Quod autem sapius feratur suspensio in hunc modum, constat ex cap. *Tam liberis*, de Testibus, & cap. *Cum in cunctis*, s. vltim. de Electione in 6. & Clement. prima. s. penultim. de Hæreticis. & Clement. secunda de Pœnis. Traduntque Canonistæ his locis; & Innocentius in cap. 1. de Excessibus prælatorum, numer. 3. & Abbas in cap. *Reprehensibilis*, in 3. & cap. *Sæpe*, numer. 16. de Appell.

Differtque præcipue inter utramque rationem suspensionis, quod illa quæ est pœna, & non censura, imponitur ad certum tempus; quæ vero est censura non potest habere terminum præfixum. Prior pars constat ex iuribus citatis, & ex cap. 1. de Sententia excommunicationis in 6. & cap. 2. de Temp. ordin. in 6. & ratione; quia suspensio est pœna proportionata culpæ: ergo quo maior fuerit culpa, eo diuturnior erit suspensio; & consequenter proportionata culpæ talem habebit præfixum terminum. Item in hoc differt (inter alia) à depositione, quod depositio est perpetua, & sine spe restitutionis, ut infra dicemus, suspensio autem esse potest ob certum tempus. Vnde, cum illa suspensio, quæ est pœna, respiciat tantum culpam præteritam, & non respiciat in futurum, nam in hoc differt à propria censura: non repugnat ut in præfixum terminum feratur. Altera vero pars constat ex superius dictis de censuris in communi, ubi ostensum est, nullam propriam censuram posse ferri ad præfixum tempus. Et ratio sumitur ex contrario fundamento: nam illa suspensio, quæ est censura, præcipue fertur ad reprimendam contumaciam, & ut homo à culpa recedat: ideoque non potest habere alium terminum, nisi, donec recedat ab illa. Vnde est alia differentia, quod suspensio quæ est tantum pœna, non requirit præuiam monitionem, quia fertur propter culpam præteritam, etiam si non habeat tractum (ut aiunt) successuum: at vero suspensio, quæ est censura, semper requirit monitionem præuiam, saltem illam, quæ includitur in illa conditione, *Si hoc feceris*, vel, *Nisi satis feceris*, ut supra generatim dictum est. Demum ex eodem principio oritur aliud discrimen, quod, quando suspensio est pura pœna, & ad certum tempus ponitur, illo elapso per se cessat, sine alia

Alia absolutione, quia causa non operatur ultra præfixum sibi terminum, nec prohibitio ad tempus certum facta extra illud obligat. Sicut enim qui relegatus est ad certum tempus, potest elapso libere ad patriam redire, quia iam pœnæ sibi impositæ satisfecit, ita suspensus ad certum tempus, postea libere suum officium exercet, in quo conueniunt Doctores cum Gloss. in Clementin. prima de Decim. verb. *Donec*, & in capitul. *Sacro*, de Sententia excommunicationis, verb. *Per mensem*. At vero, quando suspensio est proprie censura, ut tollatur necessaria est absolutio, sicut prior Gloss. citata significat, & clarius tradit Gloss. in cap. *Si quorundam*, de Solutionibus & latius inferius in vltima parte huius materiæ dicemus. De suspensione ergo, quæ est pura pœna, fere nihil speciale dicendum occurrit, nam præter ea, quæ sunt de ratione pœnæ, ut sic, solum addit quod sit in tali materia, & per prohibitionem talis, vel talis actus: & ideo definimus suspensionem, quæ est censura: inter tractandum autem de illa simul explicabimus omnia, quæ alteri communia sunt.

Additur in definitione differentia inter hanc censuram, & duas alias, quam nunc respectu excommunicationis (quoniam eius ratio iam à nobis satis explicata est) ex professo declarabimus, respectu vero interdicti attingemus solum, donec de interdicti dicamus. Ab excommunicatione igitur minori manifeste differt suspensio ex vi illius particulæ. Quia excommunicatio minor priuat solum passiuam susceptionem sacramentorum: suspensio vero non constituit in priuatione passiuæ, sed actiuæ, & non limitatur ad sacramenta, sed ad alias functiones se extendit, imo aliqua est suspensio, quæ nullo vñ sacramentorum priuat, ut infra dicam. Vnde, non video quo fundamento Abbas in capit. vltimo, de clericis excommunicat. ministr. distinguit suspensionem in maiorem, & minorem, & hanc posteriorem esse dicit, quæ priuat passiuam receptionem sacramentorum: nullum enim tale genus censuræ distinctæ ab excommunicatione minori in iure reperitur. Si autem ipsammet excommunicationem minorem suspensionem appellat, & confundit censuras, & voce vitur præter communem morem. Differentia ergo assignata illa duo & re, & nomine distinguit. Ex illa vero colligitur aliqui, & indicat Caietan. verb. *Suspensio*, grauiorem pœnam esse excommunicationem minorem, quam suspensionem; quia priuat vñ maximorum bonorum spiritualium, qualia sunt sacramenta, & priuat vñ passiuo, qui nobis magis necessarius est. Veruntamen si consideremus communem vñ, & sensum Ecclesiæ, grauior pœna videtur esse suspensio: vnde & pro grauioribus criminibus imponi solet. Et per sententiam ab homine frequenter imponitur. Ratio autem esse potest, quia, licet excommunicatio minor priuet vñ passiuo sacramentorum, & suspensio actiuo, qui non videtur ita utilis ex opere operato, tamen ex se est valde utilis ex opere operantis, & est vel sanctior, vel æque sanctus: vnde sanctitatem in ministro requirit, non minus, quam in suscipiente. Et aliunde videtur esse honorabilior vñ, & hac ratione secundum hominum apprehensionem in maiori existimatione haberi. Deinde excommunicatio minor iuxta vñ Ecclesiæ facilius tollitur, regulariter loquendo, quam suspensio, vnde nunquam reuertitur, quod tamen in suspensione frequenter fit. Denique quamuis spiritualia bona maiora sint, hominibus tamen onerosior esse solet priuatio temporalium, vel quia sensibilibus sunt, vel quia eorum iactura minus reparabilis existimatur: suspensio autem, præsertim à beneficio, secum affert aliquam iacturam temporalium bonorum: quia ergo in ratione pœnæ illa maior est, quæ magis affligit, ideo ex hac etiam parte suspensio grauior pœna censetur.

Atque ad eundem modum pro nunc intelligitur
Fr. Suarez tom. 5.

A discrimen inter suspensionem, & interdictum. In qua diff. ferat suspensio ab interdicto.
Nam interdictum ex se magis priuat vñ passiuo, quam actiuo, scilicet vñ sacramentorum, ecclesiastica sepultura, & officiis diuinis: suspensio vero minime, quia suspensus, & sacramenta recipere, & diuinis officiis interesse, & sepultura ecclesiastica frui potest. Quod si per interdictum priuatur quis administratione actiuæ sacramentorum, id non obstat distinctioni harum censurarum, tum quia nihil vetat, ut res diuersæ possint habere aliquem effectum communem; tum etiam, quia sub diuersa ratione illum habent: nam interdictum non priuat actiuo vñ formaliter, ut sic dicam, quatenus talis est, id est, quatenus est exercitium, & functio ecclesiasticæ potestatis, sed solum quatenus necesse est, ut illi minister sit, qui illum exercet: interdictus enim priuatus est, ne alicui sacræ functioni interesse possit: propter quod, non solum exercendo ecclesiasticam potestatem, verum etiam nec cooperando, aut ministrando, aliquo modo potest collationi alicuius sacramenti inferuire: cum tamen suspensus non priuetur illo ministerio, quod laicus adhibere potest, vel in Missæ sacrificio, vel alicuius sacramenti administratione. Ex quo oritur alia differentia, quæ etiam versatur inter excommunicationem, & suspensionem, quod suspensio est propria censura clericorum, ferturque in eos formaliter: ut clerici sunt, aut beneficium habent: interdictum vero, vel excommunicatio communia sunt & clericis, & laicis; vnde formaliter feruntur in fidelem, quatenus baptizatus est. Quod discrimen in illa particula definitionis, minister Ecclesiæ, insinuat, & in illa, *Ecclesiasticas functiones*: formaliter enim sermo est de functione Ecclesiastica, quatenus significat actionem, & ministerium proprium alicuius Ecclesiasticæ potestatis quæ clericorum propria est.

Tandem, hinc facilius erit discrimen inter suspensionem, & excommunicationem maiorem explicare. Quod perspicuum videbitur, si dicamus differre tanquam includens & inclusum; quia excommunicatio maior operatur quidquid suspensio, & multo plura, ut significauit D. Thom. in Addition. q. 22. ar. 3. & satis constat ex tractatu de excommunicatione maiori: nam priuat omni Ecclesiastica functione, tam ad officium, quam ad beneficium Ecclesiasticum pertinente, non tamen sola illa, sicut suspensio, sed multis etiam aliis bonis & commodis, tam spiritualibus, quam temporalibus. Hæc tamen differentia, licet vera sit, non satis declarat diuersitatem formalem, & quasi specificam harum censurarum, ut ostendit ratio dubitandi in principio facta. Et ideo addendum est, illosmet effectus priuationis ecclesiasticarum functionum sub diuersa ratione fieri per excommunicationem, quam per suspensionem: nam excommunicatio priuat omnem communicationem, & ita priuat illis actibus vñ rationem communicationis participant. Suspensio vero non respicit rationem communicationis, sed formaliter priuat illis functionibus, quatenus sunt vñ alicuius potestatis ecclesiasticæ ratione officij, aut beneficij conuenientis, quæ est quasi formalis ratio obiectiua huius censuræ, in qua fundantur aliz differentie quasi materiales, ut v.g. quod excommunicatio priuet suffragij Ecclesiæ, non vero suspensio, ut attigit D. Thomas in Additionib. q. 22. a. 5. ad 1. Item, quod suspensio sit censura propria clericorum ut sic: excommunicatio vero communior sit: & similes, quas cum aliis accidentalibus differentiis attigit Nauarr. in Summ. cap. 27. n. 65. quas non refero, quia supponunt nonnulla, quæ in discursu materiæ explicanda sunt.

) ? (

SECTIO II.

Quotuplex sit Suspendio.

Divisio 1.

Abbas.
Syluest.
Improbatur
quoad pri-
mum mem-
brum.
Nauarr.



Nulla divisiones suspensionis traduntur ab auctoribus, quæ non omnes conuenientes sunt. Tamen eas breuiter attingemus vt improprie vocibus repudiatis veras species suspensionis eliciamus, & explicemus. Primo ergo distinguunt Canonistæ triplicem suspensionem scilicet quoad se tantum, quoad alios tantum, quoad se & alios simul. Ita Abbas in cap. vlt. de cleric. excommunic. ministr. & Syluester verb. *Suspensio*. num. 1. Sed hæc non est diuisio suspensionis, quæ est censura, vel poena Ecclesiastica, sed in alia lata significatione, vt notauit etiam Nauarrus, numer. 153. Nam in primo membro dicitur, peccatum mortale suspendere hominem quoad se: at peccatum non est suspensio, vt supra ostendi: & prius non tantum actiuo, sed etiam passiuo vsu sacramentorum: quæ est signum non priuare functionibus formaliter, quatenus sunt vsus ecclesiasticæ potestatis, sed quatenus est contrædictio rei sacræ, quæ ab indigno ministro fieri non debet. Et inde fit, vt non priuet aliis functionibus, quæ tantam sanctitatem non habent, aut requirunt, vt in præcedenti tomo tractando de sacramentis in genere diximus: fit etiam, vt huiusmodi peccatum nec priuet iurisdictione, nec actionem irritam faciat, nec etiam obliget alios ad vitandum peccatorem, nisi fortasse ratione scandali, aut cooperationis ad peccatum vitandum.

2.
a. membrum
diuisionis.

In secundo membro numerantur quædam impedimenta fundata tantum in præsumptione, vel ignorantia aliorum. Sic peregrinus, qui caret literis dimissoriis, & sufficienti probatione suorum ordinum dicitur esse suspensus, ne celebrare possit, iuxta cap. tua. de clericis peregrin. & Tridentin. sessio. 23. cap. 16. de reformatione: & videri potest Couarruias in practic. cap. 33. n. 3. Dicitur autem esse: quoad alios, non quoad se, quia cum vere sit Sacerdos, secretum, & secluso scandalo potest celebrare. Verumtamen constat illud impedimentum nec esse censuram neque poenam aliquam, sed solum defectum notitiæ, & probationis, ex quo nascitur prohibitio quædam ecclesiastica fundata in præsumptione, propter vitanda scandala, & pericula. Præterea dici posset suspensus quoad alios, qui aliorum opinione, vel in foro exteriori existimatur ligatus censura suspensionis, cum tamen reuera, & in conscientia non sit: tamen ex hoc ipso constat, illam non esse veram censuram, sed putatam, quam hic distinguere non est necesse, nec de ea plura dicere, quam in superioribus de censura iniusta, & nulla in communi diximus. Solum ergo tertium membrum positum est ad veram censuram suspensionis significandam, quæ, per se loquendo, ipsum hominem secundum se, & respectu aliorum ab vsu Ecclesiasticorum functionum cohibet.

Reiicitur.

Tertium di-
uisionis
membrum
solum positi-
um ad cen-
suram sus-
pensionis.

3.
Divisio da-
ta in vero
sensu tradi-
tur.

Alio tamen modo possent illa membra, præsertim primum & tertium accommodari, ad veram censuram suspensionis iuxta Extrauagantem, *Ad euirandam*. Nam suspensus non denunciatus potest dici suspensus quoad se, & non quoad alios; nam alij non tenentur illum vitare, ipse autem tenetur se abstinere: suspensus autem denunciatus contraria ratione dicitur & quoad se, & quoad alios suspensus, de quo infra dicemus. Secundum autem membrum accommodari non potest ad veram suspensionem, sed solum ad existimatam. Aliquando etiam contingit aliquem esse iure ipso vere suspensum, & tamen nec quoad alios, nec quoad se in conscientia obligari ad se abstinendum a functionibus, quia res est occultissima, & id facere non potest sine infamia, vel scandalo. Vnde videtur esse suspensus, non

A quoad se nec quoad alios, sed tantum in re quasi in habitu. Sed hoc etiam vere dici non potest, quia sic suspensus teneretur abstinere saltem quoad se: Quod autem in casu propter ignorantiam excusetur, non variat rationem censuræ; neque in scientia per se consideratur.

Loquendo ergo de propria suspensione Ecclesiastica diuidi potest in eam, quæ est proprie censura, & eam, quæ est pure poena. Quam diuisionem aliqui contemnunt, quia in iure simpliciter dicitur, suspensionem esse censuram, capit. *Quæreni*, de verborum significatio. vbi sine dubio sermo est de Ecclesiastica suspensione; & cum definitio illa doctrinalis sit, quamcumque suspensionem comprehendere videtur. Nihilominus quoad rem constat ex dictis circa definitionem dari duo genera suspensionis, quæ possunt dici vindictiua; & medicinalis: & quoad vnum vtrumque constat solum medicinale esse propriam censuram, iuxta superius dicta. Quia vero vtrumque explicatur sumus, oportet vterius aduertere, diuidi suspensionem in temporalem, & aliquo modo perpetuam, quæ diuisio proprie cadit in suspensionem quæ est poena: alia enim (vt dixi) non habet absolutam durationem, sed quasi conditionatam, vt sic dicam: scilicet, donec resipiscas. Temporalis ergo suspensio dicitur, quæ ad certum & limitatum tempus fertur, vt cum in lege, vel sententia dicitur: *Sit per annum, vel per duos menses suspensus*. Perpetua vero aliquo modo dicitur, quæ pro delicto commissio sine vlla temporis limitatione fertur.

C Quod duobus modis contingit, scilicet, vel indefinite suspendendo, nullo adiuncto signo expresse significante perpetuitatem, vel addendo illud, vt viderelicet in decretis Pij II. & Sixti V. contra male promotos, vterque autem ex his modis indicat perpetuitatem, posteriori quidem modo perfectam, & simpliciter, vt ex vi verborum patet, priori vero aliquo modo, quia in his rebus indefinitam includit vniuersalitatem, vel quia nulla est ratio præfigendi vnum terminum potius quam alium, vel quia poena hæc includit negationem, quæ adiuncta temporis absolute sumpto, totum illud negat. Maioris tamen claritatis gratia possumus vnam vocare suspensionem perpetuam negative, vel indefinitam, quia non limitat tempus: aliam vero positue, & simpliciter perpetuam, quia in ipsamet sententia, vel lege ita expresse declaratur. Et inter hæc tanta est differentia, vt illa prior nomen possit retinere suspensionis: hæc vero posterior magis dicenda videatur depositio, quia quando indefinite fertur, admittit conditionem hanc, *donec superior dispenset*, vel, *Vique ad beneplacitum Sedis*, aut aliam similem, quia ex vi illius modi non videtur poni suspensio omnino immobilis. At vero quando positue proponitur, vt perpetua, videtur imponi vt moraliter immutabilis, & ordinari carens spe dispensationis: quod aliquando presse declaratur, vt in dicto Motu proprio Sixti V.

Tertio diuiditur suspensio in eam, quæ est a iure vel ab homine. Quæ quidem diuisio communis est; & ideo sufficiens, quæ de censura in communi illam diuisionem tractantes diximus. Solum aduerto suspensionem per modum poenæ, solere interdum imponi non solum in externo, & contentioso; sed etiam in interiori foro penitentiarum, nam à confessorio interdum præcipitur, hæc tamen non solum censura non est, verum neque sub hac suspensionis, de qua nunc agimus comprehenditur: neque enim est talis, vt si quis contra illam agat, aut irregularitatem, aut aliam poenam Ecclesiasticam incurrat, vt notarunt Nauarr. in Summ. c. 27. numer. 151. & Maiolus lib. 3. de Irregularit. ca. 19. & 23. ex Gloss. in cap. *Is qui*, verb. *In iure*, de sent. excomm. in 6. Quod fecus est, vt infra videbimus, in suspensionem hac fori contentiosi, de qua

qua nunc agimus: hæc ergo suspensio, siue à iure sit, siue ab homine, proficisci debet ex iurisdictione in foro externo siue contentioso.

Quarto principaliter diuidi solet hæc censura in suspensionem ab officio tantum; à beneficio tantum; & ab officio & beneficio simul, & sumitur ex iure: nam aliquando suspenditur quis ab officio Sacerdotali, capit. Sane, 2. de officio Delegat. & in cap. 2. eodem titulo in 6. ubi obseruandum est, hæc duo tanquam distincta poni, scilicet, Sacerdotali officio, vel ministerio interdici, & ab officio suspendi: & Glossa ibi notat plus extendi suspensionem ob officio, simpliciter dictam, quam à Sacerdotali officio, quia officium simpliciter dictum latius patet, quam officium Sacerdotali. Item colligitur ex capit. Quia in omnibus, in fine, de v. furis, & Clementina vnica de rebus Ecclesiæ non alienand. De suspensione autem à beneficio fit mentio in capit. Nihil, de electione, & in Clementina 2. de vita & honestate Clericor. & in capit. Cum in cunctis, §. vltimo de electione. De tertio membro habemus exemplum in Clementina 1. de Decimis, & in capit. Tuatum, de priuilegiis: & eundem sensum videtur habere illa verba in cap. 1. de schismaticis: A sacris ordinibus, & dignitatibus decernimus manere suspensos: quamquam non videantur tam ampla, & generalia, vt infra videbimus.

Nihilominus aliqui non admittunt tertium illud membrum, quia suspensio ab officio, & beneficio sunt duæ censuræ, distinctæ; vnde, licet interdum coniungantur, simulque imponantur, non efficiunt vnā. Sicut, si eadem lex pro eadem culpa suspensionis, & excommunicationis censuram imponat, non propterea ex vtraque fit vna censura, sed est duplex pena diuersæ rationis, quæ pro vno delicto imponi potest aliquando propter grauitatem culpe. Ita ergo videtur in suspensione ab officio & beneficio: nam, licet minus distinctæ sint, tamen etiam sunt diuersarum rationum: ideoque non componunt vnā censuram, neque habent aliquod speciale, vt coniunctim late, nisi solum quod collectivæ sumptæ suos effectus coniunctim operantur; quod non satis est, vt componant vnā totalem censuram specificam. De qua controuersia non multum contendendum est, quia solum ad modum loquendi spectat, vtilisque esse potest hæc posterior opinio ad doctrinam de his censuris breuius tradendam: nam explicatis iis, quæ ad singulas illas censuras, seu partes pertinent, scilicet ab officio, vel à beneficio explicata manebunt, quæ de suspensione vtramque partem completente desiderari possunt, siue illa vere sit vna species censuræ, siue duæ species eiusdem proximi generis simul sumptæ.

Suspensio absolute lata de qua intelligenda.

Solum potest merito inquiri, quoad iura intelligenda, & rem explicandam pertinet, quando in iure imponitur suspensio absolute, & non explicatur, an sit ab officio, vel beneficio, de qua intelligendum sit. Exemplum est in dicto c. Sane, 2. ibi, Poterint suspensionis sententia à iudice Delegato compelli, & c. Cum bona de eate, & qualitate, ibi, In eos fecit sententiam suspensionis promulgari: idem Clement. 1. §. Quibus, de priuilegiis, c. Clericorum, de vita & honestate clericor. Quæ iura non videntur posse de suspensione ab officio vel beneficio intelligi, quia non est maior ratio de vna, quam de alia; ergo oportet intelligi de vna suspensione, quæ vtramque rationem completatur. Quod est signum illam censuram reputari in iure tanquam vnā totalem & integrā, reliquas vero respectu illius esse quasi partiales.

Quia pena per legem imposita determinata esse debet, & consequenter vna secundum speciem si vnica, & simplici voce fertur, nam sub genere, vt aiunt latent æquiuocationes. Neque est inconueniens, vt vna censura ex partibus diuersarum rationum constet, quia hæc vnitas non est nisi moralis, & quasi artificialis, quæ ex huiusmodi rebus constari solet. Et enim excommunicatio maior vna censura est, & tamen complectitur partiales priuationes magis inter se diuersas, quam sint suspensio ab officio & beneficio; quamuis in excommunicatione non soleant partes illæ ita frequenter separatim imponi, sicut in suspensione. An vero talis suspensio per partes tolli possit, vel solum vnica absolutione quasi quid indiuisibile, sicut tollitur excommunicatio maior, infra videbimus, nam id multum conferre potest ad vnitatem moralem eius.

In difficultate ergo proposita quidam existimant supponi in ea, quod nunquam in iure inuenitur, quia nunquam fertur suspensio sine explicatione ab officio, vel beneficio, vel vtroque simul, vt in iuribus in ipsa diuisione citatis, videre licet. In c. enim Cum bona: non imponitur aliqua suspensio, sed refertur suspensionis sententia, quam Clemens Pontifex contra quosdam sui mandati contemptores fecerat promulgari: quamuis autem ibi non referatur, quænam suspensio illa fuerit, non tamen inde sequitur in ipsa sententia, quæ ab homine, & non à iure prolata fuit, non fuisse declaratum; & quantum ex narratione textus colligitur, suspensio illa à beneficio fuit, vt patet ex iis verbis: In quadriennio permanentes quidam ex ipso suspensi aliud beneficium sunt adepti. Nam illud relatiuum aliud non habet quod referat, nisi sub nomine suspensi tacite subintelligatur particula à beneficio. In alio vero cap. Sane, non imponitur censura ipso facto vel iure incurrenda; sed iudici, vt eam imponat, præcipitur, vt patet ex illis verbis: Si rebellis fuerit, poterit suspensionis sententia à iudice Delegato compelli. Quando autem ita indifferenter ius hoc præcipit, videtur relinquere arbitrio iudicis, vt quam suspensionem expedire iudicauerit, eam imponat. Nam hæc alternatiua interdum iudici committitur, cap. A crapula, de vita & honestate clericor. Vel certe in priori textu videtur esse sermo de suspensione ab officio ibi, Vel Sacerdotali officium interdicit, id est, prohibeat. Sic Glossa in dicta Clement. 1. de priuilegiis, exponit illam de suspensione ab officio. Quia licet in textu solum dicatur: Suspensionis sententiam, & c. tamen Prælati religiosorum, de quibus est sermo, illius tantum videntur capaces, & ita ex subiecto determinantur verba. In cap. item clericorum videtur esse sermo de suspensione ab officio, vt indicant illa verba, ita suspensus præsumptus celebrare. Vel certe ibi non fertur suspensio, sed solum appellatur ille suspensus, quod potuit esse per particularem suspensionem, licet ibi non declaratur. Additur denique coniectura, quia ius nullibi declarauit, quod cum proportionem in excommunicatione fecit, quomodo suspensio absolute lata sumenda sit: ergo signum est nunquam ita ferri. Cum enim priuatio illa amplissima sit, & quasi æquiuoca per habitum, aut aliquam circumstantiam determinari necesse est.

Contra hunc vero discursum obstat difficilis textus (alij enim apparenter vitantur) in Extrauaganti, Diuina, de priuilegiis inter communes, ibi: Tam in dantes, quam in recipientes excommunicationis suspensionis, & interdicti latas sententias promulgant, quas volumus eos ipso facto incurrere: ibi enim suspensio simpliciter fertur per modum vnus censuræ, in specie, & non declaratur, an sit ab officio, vel beneficio: neque expresse ex verbis constat, neque tacite ex adiunctis, scilicet ex materia aut personis, quia omnia illa indifferenteria sunt, & vterque modus suspensionis in eis posset habere locum. Nam, quod quidam

Nn 4 aiunt,

aiunt, verbum illud quasi per antonomasiam, vel analogiam intelligi de suspensione ab officio, gratis dictum est, & non habet in iure fundamentum; nam suspensio à beneficio simpliciter suspensio esse censetur, vt colligitur ex capit. vnico iuncta Glossa, verbo: *Suspensio*, de his quæ vi, metusue causa fiunt. Et apparentius posset dicta Extrauagans, de suspensione à beneficio declarari, ratione materiae, & causæ, ob quam fertur: nam suspenduntur ibi recipientes beneficia quædam male collata, & ea conferentes: ergo merito censeri possunt suspendi à beneficiis, iuxta illud principium, quod vnusquisque in eo puniri censetur, in quo deliquit, argument. capit. *Si compromissarius*, de electione, in 6. qui textus facit probabilem hanc expositionem. Tamen, quia, saltem ille, qui contulit illa beneficia in officio suo peccauit, verisimilius est fuisse etiam suspensum à collatione beneficiorum, quæ est suspensio ab officio. Item, quia illa suspensio simul fertur cum excommunicatione, & interdicto, ideo verisimilius est simpliciter ferri, vt habeat totum effectum suspensionis, quem habere potuerit, sicut excommunicatio, & interdictum. Atque ita textus ille satis probabiliter mihi persuadet, totam suspensionem comprehendentem officium, & beneficium per modum vnus censuræ interdum ferri.

10 *Sufficiens data diuisione ostenditur.*
Ex his vero colligitur ratio prædictæ diuisionis: nam suspensio, vt supra dixi, est propria censura personarum ecclesiasticarum, quatenus tales sunt: in personis autem ecclesiasticis, vt sic, hæc duo tantum inveniuntur, quibus proprie, & speciatim priuari possint, scilicet aut officium spirituale, aut beneficium, quod ratione officij datur: ergo omnis suspensio aut ab officio, aut à beneficio, aut vtriusque collectio esse potest; nec inuenitur alia forma, aut habitus, quo priuari possint.

11 *Quid per officium & beneficium in data diuisione intelligendum.*
Denique intelligitur, quid nomine officij, & beneficii in illa diuisione intelligatur: nam per officium intelligitur omnis potestas spiritualis ad aliquem spiritualem actum exercendum, siue sit ordinis, siue iurisdictionis, siue etiam administratio ecclesiastica. Constat enim ministerium ordinum officium esse, & ea voce in iure significari locis citatis & generalius Isidorus in cap. *Perleus*, dist. 25. ecclesiastica officia distinguens, prius omnium ordinum rationem, & numerum declarat. Rursus etiam iurisdictionis potestas officium ecclesiasticum propriissime dicitur, quod generali voce vocatur *officiu* *Pastorale* apud Isidorum supra, & sæpe alias; in specie autem distinguuntur officium ordinarij, vicarij Delegati, Subdelegati & alia, quæ in Decretalibus habentur. Præter hæc autem officia, quæ maxime spiritualia sunt, alia ministeria, quæ sub officiis ecclesiasticis comprehenduntur, vt de officio Primicerij, & Thesaurarij affirmat Isidorus supra, & in Decretalibus est etiam titulus de officio custodis. Igitur nomine officij, à quo fit suspensio per hanc censuram, hæc omnia ministeria comprehenduntur, præcipue tamen duo prima, quæ maxime propria clericorum sunt. Interdum vero ad tertium etiam extenditur, vt colligitur ex Extrauagante vnica de rebus Eccles. non alienand. inter communes & ex sequentibus latius constabit. Nomine autem beneficii intelligitur ius perpetuum ad percipiendos ecclesiasticos fructus, seu proventus ob aliquem spiritualem titulum, vt in superioribus, tractando de effectibus excommunicationis, declaratum est. Quantum vero hæc vox in præsentem extendenda sit, inferius explicabitur.

12 *Diuisio.*
Quinto diuidi solet suspensio in maiorem, & minorem ex Abbate in capit. ultimo de clericis, excommunicat. ministr. num. 4. & in capit. *Cum dilectus*, de consue. numer. 20. Quam alij simpliciter reiciunt, eo quod à Panormitano non recte explicetur, tum quod (vt supra impugnauit) suspensio

A sionem minorem cum minori excommunicatione confundat, cum Glossa in Clementina, *Cupientes*, verbo, *Suspensi*, de Pœnis: tum etiam, quia explicando suspensionem maiorem, solum meminit suspensionis ab officio, suspensionemque à beneficio omisit. Alii vero eandem diuisionem admittentes suspensionem minorem explicant esse peccatum mortale; maiorem vero esse illam quæ est proprie censura. Sed hoc extra rem est, quia hic agimus de diuisionibus censuræ: peccatum autem mortale non est censura; quare illud nihil aliud est, quam tacite illam diuisionem reicere. Veruntamen non est prætermittenda, nec omnino reicienda: habere enim potest (vt opinor) verum & legitimum tenorem.

B Ad quod explicandum præmitto diuisionem aliam, nam suspensio quædam est integra, & totalis, alia vero partialis. Quam insinuat D. Thomas quæstion. 22. Additionum, articulo 3. seu in 4. distinct. 18. quæstion. 2. artic. 2. quæstioncul. 3. Et quidem, si suspensio ab officio, & beneficio sit vna censura illa proprie est integra: eademque, quasi per antonomasiam, dicitur suspensio maior, sicut excommunicatio maior dicitur, quæ priuat omnibus bonis: omnique communicatione, quæ fideles possunt per illam censuram priuari: sic enim illa suspensio priuat omnibus actibus, vel fructibus, quibus potest ecclesiastica persona per hanc censuram priuari: ergo est maior, seu maxima suspensio. Atque eius comparatione qualibet alia dicitur partialis, quia non priuat omnibus actibus, quibus clericus priuari potest, & respectue dicitur minor. Veruntamen hic modus loquendi vñtatis non est: nam suspensio ab officio maior absolute vocatur, & est, quod ab effectu probari potest: nam qui contra illam agit, irregularis fit, vt infra dicitur, & ex obiecto, seu materia, quia priuat vñt ordinis, & iurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ sunt res magni ponderis, & momenti in Ecclesia. Vnde, licet comparatione alterius sit minor, simpliciter est maior, seu maior; sicut licet vñt peccatum mortale sit, maius alio, nihilominus quodlibet per se, & absolute consideratum graue est. Atque idem censetur de suspensione à beneficio: nam secundum communem estimationem grauis pena est, & suspensio maior: imo, quamuis secundum veram rei estimationem sit minor, quam suspensio ab officio, tamen secundum communem effectum, & opinionem hominum hæc grauior, seu maior censetur. Itaque qualibet ex his suspensionibus maior simpliciter dicenda est. Neque inter eas inuenitur analogia, etiam morali modo loquendo, ita vt suspensio absolute dicta, potius de vna, quam de alia dicatur, vt supra ostendi, quamuis si vox suspensio, si non determinetur, ne ambigua maneat pro collatione vtriusque accipienda erit.

Rursus vero de vtraque harum suspensionum eadem diuisio fieri potest: nam aliquando fit integra & totalis suspensio, aliquando vero tantum partialis. Sic dixit D. Thomas supra, aliquam esse suspensionem ab ordine, & non à iurisdictione; aliam à iurisdictione, & non ab ordine; aliam ab vtroque, quæ tamē omnes sunt suspensiones ab officio, tamen duæ primæ sunt partiales, vltima vero totalis. Sic etiam Glossa in dist. Clement. *Cupientes*, de Pœnis plures alias numerat species, seu potius partiales suspensiones ab ordine: nam aliquando suspenditur Episcopus tantum à consecratione Episcopi in capit. secundo de translatione Episcopi, & in cap. *Prouida*, de electione in 6. aliquando à collatione Presbyteri, vel Diaconatus, cap. *Literas*, de Temp. ordin. aliquando à collatione ordinum simpliciter cap. penult. de Simonia, cap. *Dilectus*, de temporibus ordinationum, cap. *Eos qui*, eod. titul. in 6. interdum à collatione solius primæ tonsuræ, cap. *Nullus*, de Temp.

DISPUTATIO XXVI,

De Suspensione ab officio, quid sit, & quos effectus habeat.

DE Ratione suspensionis in genere, vel simpliciter lata, nihil dicere necesse est, quia explicata suspensione ab officio, & a beneficio, cetera constant; harum autem rationes, declaratis earum effectibus, cognoscuntur: & ideo in hac & sequenti disputatione hoc prestabimus: breuiter enim id fieri potest, quoniam in his, quæ de excommunicatione diximus, fere omnia, quæ huc spectant, tractata sunt, eo quod excommunicatio maior (vt dixi) suspensionem ab officio, & beneficio quasi materialiter includit. Quoniam vero diximus suspensionem ab officio & totalem, & partialem esse, prius effectus totalis suspensionis declarabimus: postea de partiali facile dicemus.

SECTIO I.

Utrum Suspendio ab officio simpliciter lata priuaret omni vfu ordinis & iurisdictionis spiritualis.

DVAE Regulae generales videntur in hac materia certæ. Prima est, Suspensionem hanc non priuare hominem ipso modo officio, a quo illum suspendit: neque tollere priuati illi sed vñ ei. De ipsam potestatem quasi radicalem, sed impedire tantum vsum eius. Hoc est constans apud omnes. Primo ex vi ipsius nominis suspensionis, quod non significat ablationem, seu destructionem, sed veluti detentionem. Secundo à simili ex suspensione à beneficio, quæ non auferit beneficium ipsum, sed vsum eius, vt infra ostendemus: ergo idem cum proportionem est in suspensione ab officio. Tertiò inductione quadam: nam suspensio ab officio, quatenus ad ordinem spectat, non priuat ipso ordine, sed tantum vfu eius: quia nec priuat charactere ipso, vt secundum fidem certum est: nec perpetuo excludit clericum ab eo munere eo modo, quo per Ecclesiam deponi potest: imo de ratione suspensionis est, vt non includat positivam perpetuitatem. Quatenus verò hæc suspensio tollit exercitium iurisdictionis, si talis iurisdicção coniuncta sit alicui dignitati, non tollit dignitatem ipsam: nam, licet Episcopus suspendatur, non priuat Episcopatu; & sic de aliis. Si vero talis iurisdicção, sit ex commissione, vel delegatione, vt in Vicario Episcopi, in Legato, vel legato Papæ: in sacerdote, qui solum ex priuilegio, seu concessione habet iurisdictionem, in foro Pœnitentiæ, videtur res dubia. Nam, cum hi omnes ab officio suspenduntur, iurisdictione si bi concessa priuantur, ergo priuantur officio, cum tale officium in sola concessione iurisdictionis consistat. Nec videtur fieri satis dicendo, priuari vfu iurisdictionis: nam hæc duo vix possunt in iurisdictione

Temp. ordin. in 6. Similiter inferiores clerici interdum, si sacerdotes sint, suspenduntur ab officio sacerdotali absolute, vt in cap. Sane 2. de Offic. Delegat. & capite secundo, eod. tit. in 6. interdum vero solum à celebratione Missæ, aliquando vero solum à munere confitendi, & sic de aliis. Atque eodem modo fieri contingit in suspensione à iurisdictione, nam in Clementina 2. de Actat. & qualitat. delinquens priuatur voce in Capitulo, quæ ad iurisdictionem reuocatur: aliquando vero suspensio fertur tantum à collatione beneficiorum cap. graue nimis de præbendis, & cap. vnico, Sede vacante in 6. & ita de aliis actibus. Item aliquando suspenditur quis simul ab vfu partiali iurisdictionis, & ordinis, vt in dict. cap. 2. de Translat. Episcop. à consecratione, & confirmatione Episcop. ex quibus, consecratio actus ordinis est, confirmatio iurisdictionis. Idem inuenire licet in suspensione à beneficio. Aliquando enim est totalis in sua specie, vt cum absolute fertur suspensio à beneficio, vel beneficiis: aliquando partialis, vt cum fertur suspensio tantum à quotidianis distributionibus, vel dimidia parte fructuum, &c. huiusmodi enim formula seu modi ferendi hanc suspensionem frequentes sunt in iure, cap. Nihil, de Elect. cap. Generali, eod. tit. in 6. Clement. 2. de Actate & qualitat. & aliis; quas omnes formas suspensionum in sequentibus explicabimus.

Ex hac ergo suspensionum varietate colligere in primis possumus, suspensiones totales ab officio, vel à beneficio in suis ordinibus maiores recte appellari; partiales tamen respectu earum posse minores vocari: & ita posset explicari distinctio data. Tamen quia inter partiales quadam sunt, quæ, licet respectu totalium sint minores, tamen simpliciter sunt magna & graues vt per se notum est, ideo hoc etiam sensu non placet prior distinctio; quia illo modo nulla est poena, quæ non possit in maiorem, & minorem diuidi; &c. quæ dicitur minor respectu vnus, erit maior respectu alterius. Vt ergo illa diuisio alicuius momenti sit, termini illi absolute, & non respectiue, tantum accipi debent, sicut accipiuntur in excommunicatione maiori, & minori.

Et ideo vterius considerare oportet non esse in iure censuram aliquam suspensionis habentem definitos effectus, & quasi certam essentiam, & definitionem intra cuius limites suspensio minor dicatur, & omnis alia maior sit, sicut contingit in excommunicatione maiori, & minori: Quapropter in hoc sensu fatendum est, diuisionem hanc non ita habere locum in suspensione, sicut in excommunicatione. Nihilominus tamen vterius considerari potest, in tota latitudine suspensionum partialium aliquas esse quæ prudenti estimatione lenes poenæ censeri debent, vel quia sunt de minimis functionibus, aut prouentibus, vel quia pro tempore breui imponuntur. Sicut olim excommunicatio minor non videbatur habuisse eam formam certam quam nunc habet: sed multiplices erant modi priuandi vfu sacramentorum, & tunc non poterat excommunicatio minor distinguari à maiore ex forma præscripta à iure, sed ex poenæ grauitate, & lenitate, prudenti arbitrio: sic ergo nunc de suspensione dicere possumus. Estque non contemnenda regula, vt omnis suspensio, quæ non nisi propter peccatum mortale ferri potest, maior dicatur; illa vero minor, ad quam incurrendam venialis culpa possit sufficere: quod enim denatur illi duo gradus suspensionum, infra constabit: quod vero illis recte accommodentur illa nomina, maiori, & minori, ex terminis ipsis, & ex proportionem ad culpas videtur per se satis manifestum. In hoc ergo sensu potest diuisio admitti, quæ ab aliquibus auctoribus tradita est, quamuis à nullo fuerit in hoc sensu declarata.